DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PERTUSSI.

(14

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PERTUSSI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS TUTHILL,

Hibernus,

CHIRURGUS.

"Scribimus indocti ——————————"

Hor. Epist. lib. ii. 1.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

VIRO CLARISSIMO

JACOBO M'GRIGOR, M.D.

S. R. L. ET E. S.

EQUITI,

MEDICORUM OMNIUM,

QUI COPIARUM MILITARIUM BRITANNIÆ

AUSTRALIS VALETUDINI CONSULUNT,

RECTORI,

REI MEDICÆ SCIENTISSIMO;

VIRTUTIBUSQUE,

QUÆ AD BENE BEATEQUE VIVENDUM CONFERUNT,

PRÆDITO;

OB BENEFICIA IN SE COLLATA,

HANCCE DISSERTATIONEM

ANIMO GRATISSIMO

SUMMAQUE OBSERVANTIA

DEDICAT

AUCTOR.

VIRO CELEBERRIMO

THOMÆ HEWSON,

EBLANÆ ARTEM MACHAONIAM

EXERCENTI

REI PHARMACEUTICÆ

A COLLEGIO CHIRURGORUM EBLANENSI

PROFESSORI CONSTITUTO;

NECNON

NOSOCOMII MIDIENSIS

CHIRURGO,

NON MINUS

OB VIRTUTES, QUÆ GENUS HUMANUM ORNANT,

QUAM

INGENIUM ET RERUM SCIENTIAM

CLARO;

HANC OCCASIONEM,

PROPTER BENEFICIA IN EUM SÆPE EXERCITA

(PER CURSUM STUDIORUM)

GRATIAS PERSOLVENDI

LUBENTISSIME ARRIPIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PERTUSSI.

Auctore RICARDO TUTHILL.

PROŒMIUM.

QUONIAM legibus hujus Almae Academiae decretum est, quemque summos honores in re medica petentem, specimen diligentiae edere, aliquod sub forma dissertationis scribendo ; ideo his legibus morem gerenti pauca de Pertussi dicere est mihi animus.

HISTORIA.—Hic morbus a celeberrimo CULLENO et aliis epidemicus et manifeste contagiosus consideratus est ; incipit symptomatis peculiaribus, postea relegandis. Contagio est

naturae specificae, quae, quasi necessariè, febrem, et aliquando eruptionem vel aliquam corporis fluidorum mutationem producit : generaliter semel tantum per vitam aggressionem facit, nihilominus exempla sunt quibus constat huic regulae non religiosè obedire, sed haec quae indicant morbum bis vel saepius occurrisse tam rara sunt ut solummodo exceptiones normae regulari in omnibus hujus morbi varietatibus se ostendenti enumerari debeant. Omnis aetas et constitutio huic obnoxia est. Doctore HAMILTON teste infantes novissimè nati, tractati ab iis prope sedem morbi habitantibus frequenter eo afficiuntur. In mense Novembris egomet vidi infantem aetatis sex hebdomadarum Nosocomii Edinensis morbo affectum. Doctor WATT matrem et sex infantes vidit eodem tempore hoc morbo simul laborantes, et a Doctore HEBERDEN homo octoginta annos natus et mulier septuaginta annos nata eo affici videbantur. Doctor JOHANNES THOMSON testatur senem circiter octoginta annos infectionem a nepote accepisse quamvis ipse in juventute bis morbo aegrotavisset. Haec exempla indicant quam facile contagio communicatur et vindicant nullam aetatem propriè eâ exemptam, mulieribus debili habitu et infantibus a sex mensibus ad duos vel tres annos Pertussis fere fatalior est : in hieme et vere praecipue

invadit sed in regionibus frigidis frequentior est, plures, in mensibus Martii, Aprilis, Maji, Decembris obeunt. Simplex sed haud minus scientifica hujus morbi forma a Doctore JOHNSON (Chirurgo Professore Artis Obstetriciae in Collegio Regio Chirurgorum Dublinii) instituta est cujus illo nec invito mentionem facio; in duos ordines dividit scilicet simplicem et complicatum, et iterum hunc in tria genera scilicet (primo) cum convulsionibus et hydrocephalo, (secundo) bronchitide et pneumonia, (tertio) marasmo et febre infantum remittente, conjuncta. Simplex forma describitur quasi trium affectionum combinatio, scilicet (primo) membranae mucosae, tracheae et bronchiorum inflammationis, (secundo) fibrarum muscularium bronchiorum spasmi, (tertio) affectio nervosa. Haec forma generaliter anni tempore salubri et fausto videtur, et a nonnullis habitum corporis sanum indicare putatur, typum remittentem assumendo et mitibus paroxysmis comitata cognoscatur, primum impetum facit, symptomatis catarrhi, frigore vel humore inductis cui febris supervenit. In hoc statu quatuor vel sex hebdomadas vel longiùs cursum currere possit et inde evanescat, saepe revertitur et graviore accessione impetum facit; in paroxysmo labia sunt livida, raucitate et sternutatione succedentibus, facies est

rubra et turgida cum fluido aquoso oculos et nares irritanti. Cum forma simplex aggravata fit, aeger somnolentus apparet et dyspnoea cum tussi dura et arida urget, tunc temporis anorexia, constipatio, dolor capitis, cum lingua alba et oris ariditate observantur ; pulsus fit frequens, aliquando irregularis ; quae omnia paroxysmum febrilem constituunt, illi simillimum qui rubeolam et variolam precedit. Progressus et severitas Pertussis diversi sunt, febris aggressio diminuitur accedente tussi convulsiva quae secundâ vel tertiâ hebdomadâ interdum occurrit ; inde expirationis difficultas accedit inspiratione plena sequente, sic tussis convulsiva (vel Anglice Hoop) formatur, sed hoc signum, quamvis notatissimum sit, aliquando abest. Alterni paroxysmi expirationis et inspirationis, aliquando faustum eventum denotant, praecipue hi expirationis, nam appareret aegrum viribus totis morbi progressui oppugnare. Si paroxysmi nec cito levarentur et nulla emendatione succederentur, pergunt increscere et alternare, donec solamen expectoratione et muci spissi cum alimentis e ventriculo rejectione obtineatur ; talis est terminatio paroxysmi in rebus faustis sed in severissimis, in statu exinanitionis perfectae, ut asphyxiae, aeger absque ulla expectoratione vel vomitu cito vitâ eripitur, expirationes per paroxysmum illas quibus

stipatur catarrhus referunt, sed multo magis violentae et rapidae sunt; inspirationes per paroxysmum similes sunt paroxysmo laryngitis bene notato. Liberi praecipue, temperamenti plethorici sunt procliviores suffocationi quam praecedunt nisus convulsivus et manuum et musculorum respirationis cum vultu anxio et livido propter circuitus sanguinis obstructionem et propter desiderium aëris atmospherici. In senioribus signa differunt, expirationes sunt tam rapidae et violentes ut fere referant actionis haemorrhagicae accessum; facies est vivida, occuli nitidi et quasi salientes; sed inspirationes tam facile perficiuntur, quasi nulla affectio adesset, in nonnullis respirationes sonitui latranti similes sunt, et tussis symptomatis febrilibus apparet. Cum paroxysmi sunt frequentes et multis conatibus inducti, extrema fiunt frigida, sudor super faciem et tempora diffunditur; sanguis a naribus, ore, et oculis ruit. Pertussis dicitur periculosissimorum morborum rudimenta deponere et ex praedispositione activa functiones secretionis vitiare et eo modo affectiones organicas producere. Haec a Doctore JOHNSON in computando ejus combinationes clare explicata sunt.

SECTIO CADAVERUM.—In examinatione illorum qui hoc morbo perierunt, signa

morbida secundum severitatem et organa maximè affecta inveniuntur, organa respirationis praecipue in structurâ laeduntur, membrana mucosa tracheae et bronchiorum inflammationem violentam exhibit. Pulmones collabuntur, sanguis in eorum vasis infarcitur, et aliquando tubercula in variis stadiis videntur. Membrana mucosa canalis intestinorum inflammationem vel ulcerationem in variis partibus ostendit, et viscera chylopoietica vel scirrhosa vel tuberculis instructa saepe inventa sunt. Dextrum latus cordis et ejus magnae venae largè implentur sanguine venoso et maximè distenduntur et aliquando sanguinis fibrina in statu condensationis apparet: Serum in thoracem et pericardium effunditur. In iis exemplis ubi morbus diu permanserat, et in phthisin vel asthma desiverat, glandulae mesentericae afficiuntur, et aliquando ampliatae et durae vel mollissimae detectae sunt. Etiam ventriculi cerebri sero distenduntur et cerebrum ipsum interdum tam molle fit ut *ramollissement de cerveaux* proximè repraesentaret. Cum mors maturius subvenisset, œdema, emphysema et dilatatio cellularum aeris pulmonum observantur.

CAUSAE.—Ab omnibus facilè conceditur, morbum de quo loquimur, a peculiari et specifica contagione originem habere. Quamvis ejus

contagionis natura vel ex quâ fonte oriatur, penitus ignota est, tamen patet ex natura virulenta consistere; nam ab experientiâ constat materiem ejus in divisione subtilissimâ morbum inducendi facultatem possidere, ut intelligi possit ex tractibus latè patentibus per quos aggressiones facit. Aliquando sine pyrexia incipit, et saepissime nullâ comitatur eruptione, praecipue dum ad pulmones specificè dirigatur. Inter causas praedisponentes enumerantur omnia quae constitutionem debilitant, quorum praecipuae sunt, diaeta parca et parùm nutriens vel putrescens; potus ordinarius insalubris, evacuationes immodicae, aër humidus et impurus, vestimenta mala quibus corpus frigori exponitur. Causa proxima hujus morbi plerumque tradita est affectio spasmodica, convulsiva et nervosa organorum respirationi inservientium, et praesertim laryngis; diversae opiniones de sede hujus morbi praelatae sunt. Propter effectus faustos qui ex usu emeticorum observantur, alii pro ventriculi, et alii intestinorum affectione habuerunt; sed plerisque auctoribus videtur morbum organorum respirationis esse, ad hanc opinionem inducti sunt ex morbidis signis quae in cadaveribus dissectis apparuerunt.

DIAGNOSIS.—Pertussis ex aliis morbis praesertim pulmonum affectionibus quibus similis

est, discernitur tussi quae actione convulsivâ stipatur et inspiratione quae sonitum peculiariter strepentem exhibet, sed in principio impetus priusquam haec signa diagnostica ostendisset facile designari possit ex modo accessionis, dummodo morbus eodem tempore epidemicus est. Sed ut quibusdam auctoribus persuasum est, asthmate saepe confundi, symptomatum utrique communium cognitio levissima ad dignoscendum inter duos morbos sufficiet. In altero aeger provectus est aetate et morbus non est contagiosus, saepe est haereditarius, et per vitam haud raro permanet. In altero, contagione specificâ morbus inducitur, subito accedit, et infantes plerumque aggreditur, et saepissimè post paucos menses abit.

PROGNOSIS.—In hoc morbo prognosis praecipue deducenda est ex symptomatis faustis, infaustisve salutem vel mortem portendentibus ; si febris sit levis et nec multum ingravesceret et si respiratio in intervallo paroxysmorum naturalis sit, si expectoratio vel vomitus inter tussiendi paroxysmos facilè excitetur, valetudo prospera cito seriusve expectanda sit. Contra si actio febrilis maxime augeatur, respiratione oppressâ, et si convulsio vehemens sit cum faciei livore longius constanti, simul viribus perplurimùm exhaustis, maximum periculum metuendum est.

RATIO MEDENDI.—In formâ simplice (ut suprà explicatâ) ex remediis quae ad curationem perficiendam maximè proficiunt, aër rusticus, medicinae purgantes secundum aetatem et aegri constitutionem exhibitae, efficacissimae inventae sunt, si infans sit et ubere matris nutritus, nutrix paranda, et necesse est ut eadem mutetur, si emendatio tardè processerit, sed praesertim si morbus in pejus progredi videatur; nutrices novas frequenter introducendo in casibus extremis, saepe curatio fieri narratur, et hic observandum est, lac maternum nec nutrimenti multum possidere posse propter anxietatem, quae ex necessitate sequitur, et idem de nutrice propriâ, cui infans curae est, ducendum esse. In formâ complicatâ, quâ symptomata multo graviora sunt, attentione strenuissima opus est propter periculum, quod continuò imminet, remedia quae felicissime respondent principia antiphlogistica praecipue complectuntur, sed saepe superadduntur alia nec minoris momenti. Ex his quae in usu sunt, Venaesectio, Purgantia, Emetica, Vesicatoria et Rubefacientia, Expectorantia et Demulcentia, Fotus, Antispasmodica, Tonica, Terror, &c. varie laudantur.

VENÆSECTIO.—De hac evacuatione, diversae inter medicos sententiae sunt, nonnulli summa ope

laudant, alii prorsus rejiciunt. Nemo tamen negarit in robustis et plethoricis, ubi pulsus est celer atque durus, respiratio velox et difficilis, vultus tumidus, et oculi diffusi, magnum auxilium adferre, verum cavendum est ne debilitas et aliae corporis conditiones, ut diathesis Scrofulosa vel Phthisica usum contraindicent. In infantibus amplius anno natis copia ex duabus ad quatuor uncias secundum symptomatum vehementiam atque constitutionem aegri elici possint, si aeger hanc depletionem bene toleret, repetatur, sed hoc rarissimè necessarium vel idoneum est.

PURGANTIA.—Purgantia ad inflammationem levandam multo conveniunt, praeterea constipatio est tam continua, ut usus eorum ordinarius requireretur alvi solutionem producere, nam faeces in intestinis accumulatae tussim producunt et systema universum irritant, vitandae sunt dejectiones nimis largae vel frequentius repetitae. Hydrargyri praeparata, ut Calomelas et pilulae caeruleae, sunt valdè efficacia praesertim muco in intestinis referto, vel bile superante vel deficiente, et alvo pertinaciter adstricta, etiam Pulvis Jalapae compositus, Scammonium in pulvere, Rheum, Magnesia, Oleum Ricini, Hydrargyrus cum Creta vel Magnesia, Infusum Sennae; alia cathartica fortia utilia sunt; Oleum

Crotonis administratum est a Doctore Johnson effectibus faustissimis, constipatione gravi et per longum tempus existente.

EMETICA.—Inter plerosque, qui de hoc morbo disseruerunt, conventum est emetica esse utilissima, vomitum ciendo irritationem ventriculi non solum minuunt depletione, sed inflammationi occurrunt, sanguinem ad corporis superficiem dirigendo, et a partibus affectis scilicet bronchiis et pulmonibus avertendo, etiam diaphoresin promovendo, cordis et ejus vasorum excitationem reducunt quod saepissime optandum est. Bis terve in die exhibeantur, saepius praescribentur, sed fere satis erit iis uti altero quoque die. Tartras Antimonii, dosibus divisis exhibitis, plerumque in usum venit. Sulphas Zinci et Ipecacuanha quoque saepe adhibentur. Ipecacuanha cum Scilla in parvis dosibus et partibus aequalibus a celeberrimo Doctore Francisco Home maximè laudata sunt in affectionibus subphlogisticis, exhibenda ut tantum nauseae induceretur quantum paroxysmum definiret; hoc magnopere prodesse vidi, praecipue dum eodem tempore alvi solutio produceretur medicamento.

VESICATORIA ET RUBEFACIENTIA.—Unguentum Tartratis Antimonii ut Rube-

faciens a nonnullis religiosissimè commendatur et nuper in usum multum accessit. Vesicatoria ut emplastra Cantharidum eadem intentione felicissimè applicantur, repetitio frequens in intervallo parvo fonticulis praeferenda, sic optimos effectus edunt; nam acutum thoracis dolorem levare, et spirandi difficultatem minuere solent, parti thoracis maximè dolenti rectissimè apponerentur, quo vesiculae majus seri profluvium cieant, et ideo citius et efficacius fluida ab internis ad partes externas dirigant.

In curatione hujus et aliorum morborum infantum, nulla remedia tam male diriguntur quàm vesicatoria; haec aut per tempus nimis longum, vel nimis breve ferè applicantur: prior error saepiùs accidit, et creat Ulcus insalubre, in gangraenam et etiam mortem haud rarò abiens. Vesicatorium infanti applicari non debet diutius quam quatuor horas, etiamsi cuticula non elevata sit, namque, in permultis exemplis, vesicatio non accidit donec emplastrum vesicatorium amovetur, et etiam interdum vesiculae apparent inter curandam partem quâ vesicatorium emotum erat.

EXPECTORANTIA ET DEMULCENTIA Stomachum et Pulmones, ex aequo, fere exhauriunt; In nonnullis, leni vomitu supervenienti paroxysmo finis imponitur, sed in casibus gravio-

ribus, in quibus non sponte occurrit vomitus, hunc emeticorum ope excitare debemus.

FOTUS.—In primo morbi stadio, cum febris urget, una cum oppressâ et difficili respiratione, extremitatum fotus, fluidis ad illas partes derivatis, et diaphoresi generali excitata, prosunt.

ANTISPASMODICA.—Varia cum laude praedicantur veteribus scriptoribus. Opium, Castoreum, Moschus, Conium, et Assafoetida monstrata, sed horum pauca in usu hodierno probantur, Opium summo fructu nonnunquam porrigitur, dyspnoeâ et pyrexiâ urgentibus; tussim molestam levat, somnumque suadet, sed summa cautio in exhibitione postulatur, et morbo provecto potius quam recenti aptum videtur.

TONICA.—Medicinae quae ventriculi totiusque corporis tonum instaurant, maximè necessariae sunt, hae aut ventriculum ipsum statim, aut hoc viscus interventu organorum corporis aliorum, afficiunt. Optimae videntur plantae amarae, scilicet, Calumba, Anthemis nobilis, Gentiana, Quassia, &c. Haec cum aromaticis et aperientibus exhibeantur pro re nata, Cinchonae quidem nulla medicina antecellit: quomodo aut quantum daretur, docebunt

constitutio et stomachi status. Ferri praeparata quaedam, ut, tinctura muriatis ferri, carbonas et sulphas, bene enumerentur. Ambulatio est exercitatio optima, nisi aegri habitus prohibeat et tunc equitatio praeferenda, praesertim sub jove puro non humido, sed semper modica ut non defatigationem inducat. Frigidarium in multis exemplis efficacissimum est, in forma imbris vel, quod melius, in mari aperto. Etiam sanatur pertussis animi motibus quibusdam, terrore prae aliis, nempe consuetudini systematis morbosae obstando. Sed infantibus et pueris mens pariter ac corpus modis levibus haud difficile excitatur, tamen ut terror subitus interdum mortem inducere dicitur, idcirco cavendum est ne convulsiones vel epilepsiam hoc remedium efficiat. Terror morbo nonnihil excitato occurrisse dicitur, sed hoc remedium in statu inflammatorio cum periculo adhibetur, et, utpote pessimas affectiones inducens, nunc jure contraindicatur.

Fumigatio picis liquidae magnopere benefecisse dicitur auctoribus Cheyne, Watt, et aliis.

Tantum restat, ut pauca de diaeta et vestibus dicam. In primo morbi stadio, cum multum febris adsit, ne pulmonum affectio induceretur, omnis cibus ex carnibus, vel qui ad corpus calefaciendum conduceret, vitandus, regimenque antiphlogisticum sedulo observandum est. Sed morbo provecto, cum febrilia

symptomata sese remiserunt, victus debet esse lenissimus, ex vegetabilibus fere ex toto constans, concoctuque facilis esset, et parce, et frequenter adhibeatur. Ægro tamen multum debilitato diaeta liberior esset, et subinde pauxillum vini concedi oporteat. Ob magnum periculum inflammationis, frigus caute evitandum est, et praecipue vestes laneae juxta cutem gerendae sunt.

FINIS.